

et quae porro de illa *SYNAGOGA MAGNA* exposuimus, c) quam *Academiam* fuisse, et sua auditoria multis cathedris docentium, et subfelliis discentium praedita habuisse statuimus, in qua altiores disciplinae docebantur, et ex qua his disciplinis imbuti erant *STEPHANI* accusatores; si tandem e consuetudine nostrorum temporum rem perpendamus, secundum quam Professores Iuris etiam Consilarii et Assessores collegiorum superiorum, ubi ius dicitur, sunt, hosque *Senatus summi* *ASSESSORES* etiam imprimis disciplinae sanctioris Iudaicae, ut et Iurisprudentiae *DOCTORVM* munus obtinere potuisse cogitamus: facile illis respondere potuerimus, magnum fuisse discrimen inter *Synedrii magni* *ASSESSORES* et inter iuris civilis in *Academia Iudaica* *DOCTORES*. Nullus enim in horum *SENIORVM* numerum recipiebatur, qui non antea e maiorum institutis iurisprudentia, et aliis huc pertinentibus disciplinis imbutus erat. Huc tandem accedit, quod in *confessu* horum *SENIORVM* non de rebus dubiis disceptabatur, sed solummodo uota absoluentium et condemnantium colligebantur, atque a *Synedrii* *PRAESIDE* pro criminis ratione in unumquemque reum ius dicebatur. Plura hac de re cupientem ablegamus ad *SELDENVM* d) et *VITRINGAM*, e) qui imprimis in hac quaestione exponenda diiudicandaque fuerunt liberiores.

Maioris autem momenti hanc quaestionem esse censeo, num uera sit ueterum Ebraeorum historia, *tres ordines CANDIDATORVM* in *Synedrio magno* constitutos esse. Et quem in finem illi ibi confederint, si non *Academia* fuerit?

c) conferatur *nota* gg. pag. 14. sub finem.

d) lib. II. de *Synedriis* Hebraeorum Cap. X. §. 1. pag. 266.

e) Lib. I. de *Synagoga Veteri* Part. I. Cap. VII. pag. 156. seqq.